

randa fidei dogmata controversa. R. Dist. ant. Ait hoc s. *Hieronymus* ex sensu aliorum maxime hebraeorum, quibus statim eodem loco opponit auctoritatem concilii nicaeni, conc.; ex sensu suo, subd.: respective ad eos, qui primis saeculis non nisi canonem esdrinum admittebant, conc.; respective ad alios, qui ex auctoritate concilii nicaeni et pp. hunc librum inter sacros, saltem deuterocanonicos (1) numerabant, neg. Ideo ait: *iudico*, vel *a me iudicatur*, sed duntaxat indicat, quid alii, maxime hebraei iudicent; ferme sicut alibi (2) idem s. doctor loquens de praefatione sua in *Danielem*, clare ait: *Non quid sentirem, sed quid hebraei contra nos dicere soleant, explicavi*.

Adde I. Quod liber *Iudith* semper inter *Hagiographa* ab ipsis adeo hebraeis positus fuerit. II. Quod etsi hic liber minus idoneus sit ad controversias fidei dirimendas, quas non agitat; quoniam tamen spem alit in Deum, mores format, etc. recte ait *Hieronymus* (3): *librum Iudith legit ecclesia*.

44. ARGUM. III. Synodus *laodicaea*, quae paulo post nicaenam habita est, non reliquisset librum *Iudith* in apocryphis, sed eundem catalogo sacrorum librorum, quem canone LX exhibet, inseruisset, si hunc librum synodus nicaena canonicum statuisset. R. Ex hoc ipso probat *Baronius* in tomi IV appendice, *laodicaeam* synodum ante nicaenam fuisse habitam. Verum quidquid de hoc sit, id saltem certum est, quod eo tempore, quo typographia nondum erat, notitia canonis aut aliorum decretorum, aut scri-

(1) Quid sint libri proto et deuterocanonicis, supra num. 1, explicatum est.
(2) In apologia adversus *Ruffinum*, lib. 2, c. 9.

ptorum non tam cito ad omnes pervenire potuerit; cuius notitiae defectu non statim fuere haeretici, qui divinam huic libro auctoritatem negarunt. Accedit, quod iuxta opinionem *Baronii* (4) incertum sit, utrum concilium nicaenum de libro *Iudith* expressum canonem ediderit, vel duntaxat eius tanquam libri divini obiter mentionem fecerit, quo posito adhuc magis credibile fit, quod patres *laodicaeni* mentem synodi nicaenae de libro *Iudith* ignoraverint, praesertim quia teste eodem *Baronio* (5), acta huius synodi non integra, sed mutila ad posterum pervenerunt. Praeterea etiamsi patres *laodicaeni* de iudicio synodi nicaenae circa librum *Iudith* aliquam notitiam habuissent, peculiare causae fuerint, cur de hoc aliisque libris deuterocanonicis mentionem distinctam non fecerint. Fors id unum propositum ipsis erat, quinam libri canonici iudaeorum esdrino essent inscripti, quinam contra ab eo abessent, edocere, quin ideo de librorum deuterocanonicorum divinitate dubitarent. Ceterum canon LX concilii *laodicaeni*, ubi ponitur catalogus librorum sacrorum, non legitur in veteri versione latina *Dionysii Exigui*, et in canone graeco recensetur liber *Baruch* quem tamen protestantes reiiciunt, recensentur epistolae ad *Hebraeos*, una *Iacobi*, una *Iudae* etc., quas protestantes longo tempore apocryphas putarunt.

45. DICES I. Librum *Iudith* omisit *Esdras* in suo canone: ergo ecclesia in concilio nicaeno hunc librum non potuit facere ex non canonico canonicum. R. Quando *Esdras* condidit canonem, vel historia

(3) Praefat. in 2 lib. Salomonis.
(4) Vide supra num. 42. Dices I. Item eodem numero notam (1).
(5) Ibidem nimirum n. 32. Dices I.

Iudith nondum contigerat; vel si (ut nos supra (1) ostendimus, tunc iam contigerat, *Esdras* tamen urgentibus undique hostibus sat spatii non habuit, ut tam illustre facinus elaboraret. Quem autem librum *Esdras* non addidit canoni, synagoga (2) non amplius addidit, nisi hagiographis, ut supra (3) iam observavimus. Ceterum Deo non est a mortalibus praescribendum tempus aut modus, quo verbum suum scriptum nobis communicare aut promulgare debeat. Neque ecclesia, quando fidelibus librum aliquem proponit tanquam canonicum, facit eum divinum in se, sed tantum quoad nos, hoc est, declarat nobis, quod sit divinus, seu Deo dictante, eumque tanquam verbum suum inspirante scriptus.

DICES II. De facto adhuc sine nota haereseos dubitarunt aliqui de authentia libri *Iudith*, secuti *Ruffinum*, inter quos est etiam *Caietanus*: ergo in nicaena synodo hic liber non est declaratus canonicus. R. Dist. ant. dubitarunt aliqui ante concilium tridentinum, trans.; post illud, et quidem sine errore in fide, neg. Iam definitum est a Tridentino sess. IV in decreto de canonicis Scripturis cum anathemate, si quis librum *Iudith* non pro sacro et canonico libro susceperit. Ante illud erant adhuc, qui mente s. *Hieronymi* non satis perspecta, de illo canone vel citatione synodi nicaenae, ubi liber *Iudith* libris canonicis annumeratur, dubitabant, sicque de ipsa huius libri divinitate seu *θεοπνευστία* ancipites haerebant; quam dubitationem iam omnem sustulit concilium trident. loc. cit. Porro *Caietanus* quoque ante Tridentinum (4) floruit. Quod *Ruffinum* at-

(1) Num. 35-38.
(2) Num. 6 argum. 2. ad primum.
(3) Num. 43 ad finem.

tinet, is in pluribus erravit, ut ostendit s. *Hieronymus* in libro contra eundem.

46. ARGUM. IV. Ex ipsis *Tournemini* tabulis luculenter patet pro libro *Iudith* (sicut etiam pro additamentis *Esther*) admodum paucorum patrum testimonia suffragari: ergo authentia libri *Iudith* merito suspecta est. R. Dist. ant. pauca patrum testimonia suffragari, si conferantur cum aliis Scripturae libris, conc. ant.; si secundum se et communem ecclesiae occidentalis sensum spectentur, neg. ant. et cons. Patribus frequentius erat occasio loquendi de libris, ut vocant, sapientialibus vel historico-dogmaticis, quam de privata historia, qualis in libro *Iudith* vel *Esther* continetur. Ceterum si paucis etiam hisce testimoniis addas decreta conciliorum et testimonia sedis apostolicae romanae, ac consensum utriusque ecclesiae tam latinae quam graecae (5), sufficiens auctoritatis pondus ad comprobendam illorum librorum authentiam ac divinitatem accedit.

47. ARGUM. V. Libri *Iudith* versio latina a d. *Hieronymo* facta et vulgatae latinae inserta nimium discrepat a versione graeca: ergo alterutra non est authentica. R. Dist. ant. discrepat in doctrina fidei et morum, neg.; in aliis, conc. Ratio est, quia d. *Hieronymus* in praefatione in hunc librum (6) ipse fatetur, *se magis sensum e sensu, quam ex verbo verbum transtulisse*. Quod si et de graeca versione id dicitur, vel etiamsi haec transferendo chaldaicum originale ex verbo ad verbum facta esset, mirum non est, utramque versionem (latinam et graecam) tali modo discrepare in

(4) Vide supra num. 12.
(5) Vide supra n. 1, 3.
(6) Vide supra n. 41.

verbis, verborumque constructione etc., ut consideranti facile patet.

48. ARGUM. VI. In libro *Iudith* continentur falsa, et complures antilogiae seu contradictiones: ergo hic liber non est canonicus. R̄. Nego ant. Contrarium constat ex dictis, et magis constabit ex dicendis in sequentibus quaestionibus.

49. QUARES V. *Quomodo* (Iudith 1, v. 1) *absque errore in re historica dici possit*: ARPHAXAD. . . . REX MEDORUM. . . . AEDIFICAVIT CIVITATEM POTENTISSIMAM, QUAM APPELLAVIT ECBATANIS; cum tamen ex *Diodoro* constet, quod hanc civitatem iam ante regem *Arphaxad* aedificaverit *Deioces medorum rex*? R̄. Esse poterit, ut *Deioces* hanc civitatem primus molitus sit; quin tamen eam absolverit, maxime quoad sua propugnacula et ornamenta. Quare transmitti potest, quod quidem *Arphaxad* eandem non aedificavit primo et simpliciter: eam tamen teste *Scriptura* aedificavit *potentissimam*, id est, secundum quid et quasi secundo, quia eam novis palatiis, turribus, muris auxit et ornavit. Unde graeca versio (1) de *Arphaxado* dicit: *Καὶ ἠκοδόμησεν ἐπὶ Ἐκβατανίων πόλιν τεύχεα ἐκ λίθων λελαξευμένων, et aedificavit in Ecbatanis circumcirca muros ex lapidibus sectis etc.* Certe urbis alicuius aedificatae laus non primo duntaxat eiusdem conditori, sed et instauratori eiusdem et amplificatori tribui solet. Ex communi hoc sensu *Nabuchodonosor* (2) gloriatur, et ait, se *Babylonem* condidisse: *Nonne haec est Babylon magna, quam ego aedificavi*? Id est, ornavi et amplificavi. Nam primus turrim *Babel* et *Babylonem* condidit *Nemrod* (3) cum sociis. Sic etiam *Ro-*

(1) Iudith c. 1, v. 2.

(2) Daniel c. 4, v. 27.

(3) Genes. c. 10, v. 10.

(4) Aeneid. c. 8.

mulus dicitur condidisse *Romam*, cum tamen *Virgilius* (4) dicat:

Tunc rex *Evandrus* romanae conditor arcis.

50. QUARES VI. *Quomodo salva veritate historica* (Iudith 1, v. 5) *dici possit*: NABUCHODONOSOR REX ASSYRIORUM, QUI REGNAVIT IN NINIVE CIVITATE MAGNA, PUGNAVIT CONTRA ARPHAXAD; cum tamen tempore *Nabuchodonosoris* *Ninive* iam destructa fuerit? 2. *Quis fuit ille Nabuchodonosor rex assyriorum, qui regnabat in Ninive*? Certe *Nabuchodonosor* non assyrius, sed chaldaeus erat, neque in *Ninive* civitate *Assyriae* condita a *Nino*, sed in *Babylonia* regnabat. Antequam respondeam, observo, quod, sicut una persona tam in historia sacra, quam profana saepe habet plura nomina; ita vicissim unum nomen, quod videtur esse uni proprium, non raro commune est pluribus hominibus. Nam etsi eiusmodi nomen ab initio fuerit cuiusdam certae personae aut rei proprium, aut familiae alicuius cognomen, postea tamen commune factum est omnibus successoribus; quemadmodum omnes reges *Aegypti* usque ad imperium *graecorum* vocabantur *Pharaones*, postea autem a *graecis* appellati *Ptolemaei*; omnes imperatoria dignitate apud *romanos* conspicui *Caesares* et *Augusti*. Similiter ergo reges apud *babylonios* dicebantur *Nabuchodonosores*, aut *Merodach* (5), aliusque est *Nabuchodonosor* in libro *Iudith* loc. cit. diversus ab illo *Nabuchodonosore*, qui templum *salomonicum* destruxit, et *iudaeos* in captivitatem *babylonicam* abstraxit (6), cuius filius *Baltassar* fuit a *Cyro* interfectus. His praenotatis

(5) Vide *Tirinum* comment. in IV. Reg. c. ult. in fine.

(6) IV. Reg. c. 24. Ierem. c. ult. et Daniel c. 1.

AD PRIMUM dico, quod *Pfaffius*, qui haec obiicit, confundat historias. Nam locus ex libro *Iudith* allatus non loquitur de *Nabuchodonosore Danielis*, i. e. de illo, qui templum *salomonicum* destruxit, et *iudaeos* in captivitatem *babylonicam* abduxit, et quo regnante, *Ninive* metropolis *Assyriae* iam erat destructa, utpote a *Cyaxare* sub *Iosia* rege *Iuda* circa annum m. 3370 (ut *Usserius* vult) vel circa an. m. 3378 (ut *Calmetus* (1) existimat) devicta, post quam cladem teste eodem *Calmeto* (2) ad pristinam sui maiestatem nunquam revocata est: sed loquitur de alio quopiam *Nabuchodonosore* circa tempora *Manassis* regis *Iuda*, in quibus historia *Iudithae* (3) contigit, in *Assyria* regnante; prout mox ex responsione ad 2 palam fiet.

AD 2. dico, oppido controversum esse, qualis fuerit ille *Nabuchodonosor*. Nam hoc nomen *Nabuchodonosor*, ut paullo supra demonstravi, fuit commune regibus *chaldaeorum*. Duas solum praecipuas hac de re sententias in medium profero. *Tirinus* existimat, *Nabuchodonosorem*, de quo *Iudith* 1 v. 5 sermo est, fuisse prognatum e *chaldaico* sanguine regum *Babylonis*, et casu aliquo delapsum in *Assyriam*, factumque fuisse filium adoptivum, vel certe generum, aut alio modo affinem *Assar-Haddoni* assyriorum tunc monarchae, atque ita successorem eiusdem in imperio: *chaldaicum* tamen nomen regum *babyloniorum* *Nabuchodonosor* retinere voluisse in aeternam suae familiae et sanguinis memoriam. Alii malunt, *Nabuchodonosorem* illum non e *chaldaico*, sed *assyriaco* sanguine procreatum, e cognatis fuisse *Assar-Haddoni*, vel saltem e primoribus regni eius, qui vel regis adoptione, vel procerum factione, vel populi electione sceptrum adeptus *assyriacum*, etiam usurpavit nomen *chaldaicum* regum *Babyloniae* *Nabuchodonosor*, ut hoc suo nomine demonstraret, se regem esse *Babyloniae* non minus, quam *Ninives* et *Assyriae*. Plura de hac controversia vide apud *Cornelium a Lap.*, *Tirinum*, *Sanctium* aut *Serarium* in cit. locum *Scripturae*.

COROLLARIUM I. Cum *Nabuchodonosor*, de quo *Iudith* 1, v. 5 sermo est, fuerit filius, vel cognatus, aut alio titulo devinctus *Assar-Haddoni* regi *Ninives* et *Assyriae*; hic autem regnaverit paullo ante aut circa tempora *Manassis* regis *Iuda*, ut patet inspicienti tabulam *chronologicam* generalem (4) *historiae biblicae* ab anno m. 3292 usque ad ann. 3361, denuo colligitur, quod historia *Iudithae* tempore regis *Manassis* contigerit; quemadmodum supra (5) asseruimus. II. Patet, quod regnante memorato *Nabuchodonosore* urbs *Ninive* nondum fuerit eversa. Haec enim, ut paullo ante (6) observavimus, primum tempore *Iosiae* regis *Iuda*, qui ab anno m. 3370 usque ad an. 3395 exclusive sumptum regnavit, a *Cyaxare* devastata est. III. Denique patet, quod idem ipse *Nabuchodonosor* sit longe alius et diversus a *Nabuchodonosore Danielis*. Iste enim est posterior, et mortuo suo patre an. m. 3399 regnavit solus usque ad annum 3444 prout haec omnia iterum videre est in laudata tabula *chron. general. histor. bibl. et in diction. bibl. Calmeti* v. *Nabuchodonosor*.

ad calcem tom. 1 s. *Script. dogmatic. et polem. explicatae*, auctore *Franc. Xaverio Widenhofer*. (5) Q. 2, n. 55-58. (6) Num. 50 *Ad primum*.

(1) In suo dictionario bibl. v. *Ninive*.

(2) Loc. cit.

(3) Vide supra q. 2, num. 55-58.

(4) Haec tabula *chron. extat* in *Calmeti* dictionario bibl. tom. 2 ad finem; item

51. **QUAERES VII. Quomodo illud** (Iudith 2, 7): TUNC HOLOFERNES DINUMERAVIT VIROS IN EXPEDITIONEM... 12000 EQUITUM, *concordet cum alio Scripturae loco* (Iudith 7, v. 2), *ubi dicitur, quod omnino fuerint equites 22000?* R. Omissa alia aliorum responsione, mihi praeplacet explicatio eorum, qui dicunt, non initio, sed postquam equitibus ab omnibus Assyriae regionibus ad *Holofernem* confluentibus accessio facta est, eiusdem exercitum 22000 equitibus instructum fuisse. Has autem auxiliares copias, ut *Cornelius a Lap.* (1) ait, submittebat *Nabuchodonosor*, qui et ipse cum toto exercitus robore subsequi destinabat, ut habet versio graeca cap. 2, v. 19 de *Holoferne* dicens: *Καὶ ἐξῆλθεν αὐτὸς καὶ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτοῦ εἰς πορείαν τοῦ προελθεῖν βασιλέως Ναβουχοδόνσορ. Et egressus est ipse et omnis exercitus eius in viam, ut praecederet regem Nabuchodonosor.* Porro nemini mirum videri debet, quod *Holofernes* tantam in suo exercitu equitum multitudinem numeraverit. Certe teste *Curtio* (2) *Darius* contra *Alexandrum m.* eduxit equitum omnino 44 millia, et adhuc hodie hungarorum, polonorum, turcarum etc. exercitus potissimum equitum multitudine abundat.

52. **QUAERES VIII. Quomodo** (Iudith 3, v. 14) *cum veritate dici possit, quod Holofernes pertransiens Syriam sobal venerit ad Idumaeos in terram Gabaa, cum tamen Gabaa sit in tribu Benjamin prope Hierosolymam, cui utique Holofernes non appropinquavit?* R. Non est hic sermo de urbe *Gabaa*, non longe a *Hierosolyma* sita, sed de *Gabaa sumta* pro terra montosa; nam *גבא* *Gabaa* hebraice significat *montem, collem.* Hinc in regione Iudaeae, mon-

(1) Comment. in Iudith c. 7, v. 2.

(2) Lib. 4.

tibus adeo impedita, nil mirum, si plura eiusdem nominis, ut *Gabaa, Gabath, Gabaon, Gabathon, Gabee*, tanquam plura nomina eiusdem sensus, occurrant; prout videre est in *Calmeti* dictionario bibl. tom. II ad *calcem*, ubi hic auctor versionem literalem nominum hebraeorum in Scriptura occurrentium, secundum ordinem alphabeti proponit.

53. **QUAERES IX. Quomodo in libro Iudith caput IV, v. 4, ubi sacerdos magnus illius temporis vocatur ELIACHIM, concilietur cum capite XV, v. 9, ubi IOACHIM appellatur? R. Ille sacerdos magnus fuit binomius, et utrumque nomen in hebraico idem sonat, nempe *qui Deum surgere facit*, ex *קום qum*, i. e. surgere, et *אל el*, i. e. Deus, sive *יהוה Iehova*, i. e. Deus. Paucis: *Eliachim* est compositum ex nomine hebraeo *El*, Deus et verbo *kum*, surgere; sicut *Ioachim* est compositum ex nomine hebraeo *Iehova*, Deus, et ex verbo hebraeo *qum*, surgere; vel ut *Calmetus* (3) vult, ex nomine hebraeo *יח Iah*, Deus, et verbo hebraeo *qum*, surgere. Unde patet *Eliachim* et *Ioachim* idem significare.**

54. **QUAERES X. Num credibile sit, quod Holofernes dux assyrius ignoraverit, qualis populus sint hebraei, et (Iudith 5, v. 3) principes Moab et duces Ammon interrogaverit his verbis: DICITE MIHI QUIS SIT POPULUS ISTE... AUT QUAE ET QUALES, ET QUANTAE CIVITATES EORUM: QUAE ETIAM SIT VIRTUS EORUM, AUT QUAE SIT MULTITUDO EORUM: VEL QUIS REX MILITIAE ILLORUM? Quis enim credat, assyriorum ducem tanta gentis hebraeae ignoratione laborasse; cum tamen inter ipsos assyrios in urbe Ninive non pauci gentis hebraeae**

(3) In citata versione literali nominum hebraeorum. v. *Ioachim*.

degerent, et ipse iudaeorum rex Manasses ante aliquot annos a ministris regis assyriorum in Chaldaeam captivus abductus fuerit? R. Frustra haec adversarii cum *Whitakero* contra librum *Iudith* obiiciunt. Potuit enim *Holofernes* Cappadocia oriundus, et forte novus e Media vel Persia accitus bellidux, ignorare, quae ad *Manassem* et israelitas spectant; quippe non Ninivem in Assyria, sed Babylonem in Chaldaea fuit abductus *Manasses*. Et esto audierit aliqua narrari de israelitis, in minimis tamen haec posuit, et ex contemptu tam vilis, ut putabat, gentis interrogavit, qui illi essent, qui praeter omnem expectationem, sibi regique *Nabuchodonosor* resistere auderent. Unde hae *Holofernis* interrogationes non sunt omnino ignorantis, sed sunt prouuntiata ferocis ducis minantis, quod sibi potentissimo resistere quidam non reformidarent. Ceterum prudentis est belliducis, hostium conditionem, vires et statum a peritioribus ita exquirere, quasi ipse horum omnium ignarus esset.

55. **QUAERES XI. Quomodo Achior dux ammonitarum (Iudith 5, v. 22 et 23) de hebraeis dicere potuerit: NAM ET ANTE HOS ANNOS, CUM RECESSISSENT A VIA (mandatorum Dei), EXTERMINATI SUNT PRAELIIS A MULTIS NATIONIBUS, ET PLURIMI EORUM CAPTIVI ADDUCTI SUNT IN TERRAM NON SUAM. NUPER AUTEM REVERSI AD DOMINUM**

(1) Observat *Calmetus* (comment. in Iudith c. 5, v. 22) captivitatem, de qua loquitur *Achior*, etiam intelligi posse de decem tribubus a *Salmanasar* in servitum abductis. Quamvis enim tribus illae post *Manassis* reditum non redierint; verosimile tamen est, eorum plerosque, qui belli tempore aufugerant, et se in finitimas provincias receperant, fuisse in terras suas reversos, postquam procella detouit, et assyriorum copiae recesserunt.

DEUM SUUM, EX DISPERSIONE, QUAE DISPERSI FUERANT, ADUNATI SUNT, ET ASCENDERUNT MONTANA HAEC OMNIA, ET ITERUM POSSIDENT HIERUSALEM, UBI SUNT SANCTA EORUM. *Quaenam haec captivitas? Quis hic reditus hebraeorum ex captivitate? Certe historia Iudith probabilius contigit ante captivitatem babylonicam, tempore regis Manassis.* 2. *Quomodo Achior* (cit. cap. 5, v. 18) *in textu graeco dicere potuit: Καὶ ὁ ναὸς τοῦ θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος* TEMPLUM DEI EORUM (hebraeorum) FACTUM EST IN PAVIMENTUM i. e. solo aequatum, dirutum est; cum tamen tunc templum adhuc steterit; quia tempore regis *Manassis*, quo historia *Iudith* contigisse dicitur, templum nondum fuerat eversum. An *Achior* haec ignoravit, aut ignorare potuit? R. Ad PRIMUM. *Achior* cit. loc. de hebraeis recte ait: *Ante hos annos... exterminati sunt praeliis a multis nationibus; saepius enim israelitae traditi sunt in manus gentium, nunc aegyptiorum, nunc moabitarum, ammonitarum, assyriorum etc., ac nuper plurimi cum Manasse ex patria sua exterminati fuere, et ab exercitu regis assyriorum captivi abducti in terram non suam.* Inde vero, clementia et favore *Phraortis* sive *Arphaxad* ex dispersione collecti, aut ex diversis locis, in quibus deserta sua regione dispersi morabantur, redeuntes denuo patriam et montanas potissimum civitates occupare, ac iterum possidere *Hierusalem* coeperant (1). Cete-

Certe *Ezechia* (II. Paralip. c. 30, v. 1 et 18; item c. 31, v. 1) et *Iosia* (II. Paralip. c. 34, v. 9) imperantibus, scimus, in terris Israel adhuc fuisse magnam israelitarum numerum ex decem tribubus, qui post captivitatem, quae sub *Osee* rege Israel contigerat, ibi sedem suam rursus statuerant. Nihilominus *Calmetus* loc. cit. huic responsioni praefert priorem responsionem ad primum datam.

rum non mirandum, si *Achior* historiam iudaeorum sic enarret, ut leviora nonnulla mutare videatur tanquam homo externus et in bello educatus.

Ad 2. *Bellarminus* (1) respondet, verba illa in textu graeco supposititia videri; quandoquidem *d. Hieronymus*, qui librum *Iudith* fidelissime ex chaldaeo sermone in latinum transtulit, nihil de excidio templi in sua versione posuit; et aliunde constat, textum graecum, qualis nunc extat, non raro esse mendosum et corruptum (2). *Nihilominus*, etiamsi ponatur, graeci textus verba non esse supposititia, nil falsi ideo liber *Iudith* cit. loc. assereret. Nam si verba illa graeci textus rite examinentur, aliud in illis non asseritur, quam templum *pedibus obtritum*, ut habet versio syriaca, hoc est, pollutum, profanatum; id quod etiam auctor primi libri *Machabaeorum* cap. 3, v. 51 de stante templo furentis *Antiochi* tempore polluto affirmat his verbis: *Et sancta tua conculcata sunt, et contaminata sunt*. Quis autem ignorat, non una vice templum *Hierosolymae* etiam ante *Manassis* aevum fuisse profanatum, atque a *Manasse* ipso foeda idololatria contaminatum, ut ex Scriptura (3) clare liquet.

56. QUÆRES XII. *Quaenam, et ubi sita fuerit BETHULIA, de qua (Iudith 7, v. 1) sermo est?* R. Quamvis incertum sit, ubi sita fuerit *Bethulia*, tamen geographi *Palaestinae*, ss. patres, alique aliquam huius nominis urbem in *Palaestina* extitisse fatentur, hoc tamen discrimi-

(1) L. 1 de Verbo Dei c. 42.

(2) Vide *Hermann. Goldhagen* introduct. in s. Script. p. 1, sect. 2, q. 8.

(3) IV. Reg. c. 21, v. 4 et 7. Item II, Paral. c. 33, v. 4, 5 et 7.

(4) Comment in *Iudith* c. 6, v. 7.

(5) In dictionario suo bibl. v. *Bethulia*.

ne, quod *Brocardus* et *Adrichomius* apud *Tirinum* (4) dicant, fuisse urbem *Galilaeae*, monti impositam, in tribu *Zabulon*, aliquot leucis a mari *Tiberiadis* versus occidentem: s. *Hieronymus* vero, alique, quos *Calmetus* (5) sequitur, eandem urbem in tribu *Simeon* collocant. Non vacat, hanc rem pluribus examinare. Si lubet, eam ventilatam invenies apud *Xaver. Widenhofer* (6), et *Calmetum* (7), aliosque.

57. QUÆRES XIII. *Quomodo Iudith (Iudith 8, v. 1) dici possit oriunda ex tribu Ruben; cum (ibid. c. 9, v. 2) originem suam referat ad tribum Simeon?* R. Codices graeci, item versio syriaca, editiones *sixtina*, *complutensis*, et emendata *Vatabli* cit. cap. 8 loco filii *Ruben* habent filii *Israël*, i. e. filii *Iacob*, et ita legendum censent s. *Fulgentius* (8), *Bellarminus* (9) *Serarius*, alique iudicantes, hoc loco mendum irrepsisse in textum latinum. Quia tamen codices alii constanter habent filii *Ruben*, dicendum cum *Lyrano* et *Cornelio a Lap.*, hunc *Ruben* non esse patriarcham et primogenitum *Iacobi*, sed esse virum quempiam alium illustrem ex tribu *Simeon*, ad quem proinde genus *Iudithae* hic producitur et terminatur, non progrediendo ulterius ad eius progenitores et avos usque ad patriarcham *Simeon*, seu secundum *Iacobi* filium. Id ita esse, confirmatur ex eo, quod cit. c. 8 *Iudith* dicitur filia *Merari-filii Simeon, filii Ruben*: atqui *Ruben* primogenitus *Iacobi* nullum habuit filium, qui vocatus sit *Simeon* (10).

(6) Tom. 4 s. Script. dogmatic. et polem. explicat. pag. 969-971.

(7) Loc. cit.

(8) Epist. 2, c. 24.

(9) Loc. cit.

(10) Vide *Genes. c. 46, v. 9*; item I. Paralip. c. 5, v. 3.

58. QUÆRES XIV. *Cur (Iudith 8, v. 1) sexdecim duntaxat generationes usque ad Iuditham recenseantur; cum tamen (Matth. cap. 1) a Iacob communi iudaeorum patriarcha usque ad captivitatem babylonicam (quae cum nevo Iudithae ferme coincidit) numerentur plusquam viginti generationes?* R. Non omnes *Iudithae* proavi cit. loc. recensentur; sicut praecedente quaestione de alio loco libri *Iudith* dictum est. Nam in sacra Scriptura non semper integrae recitantur genealogiae, uti etiam conspicuum est ex I. Reg. 9, v. 1, ubi de maioribus *Saulis* sermo est. Sufficit enim s. Scripturae, genealogiam alicuius ad virum aliquem illustrem, e. g. genealogiam *Saulis* ad *Iemini* perducere. Simili ergo modo s. Scripturae satis fuit, genealogiam *Iudithae* ad illustres stirpis auctores referre.

59. QUÆRES XV. *An Iuditha iure laudare potuerit (Iudith cap. 9) facinus Simeonis, qui sichemitas eo ipso tempore, quo dolore circumcisionis, optima fide admissae, cruciabantur, nec resistere illatae vi poterant, miseratione nulla peremit?* 2. *Quomodo hic locus Scripturae conciliari possit cum aliis Scripturae locis (Genes. 34, v. 30; item Genes. 49, v. 5), ubi hoc factum Simeonis vehementer improbat?* R. Factum *Simeonis* a *Iuditha* non laudatur ex modo, quo peractum est, sed ex causa et re secundum se spectata. Duo enim sunt hoc in facinore, zelus sive iusta indignatio ob *Dinae* pudicitiam a *sichemitis* violatam, et crudelis ulciscendi modus, qui merito a *Iacobo* patriarcha in cit. loc. I. *Genes.* reprehensione castigatus est. In laudem prioris h. e. zeli secundum se spectati excurrit *Iudith*,

(1) *Iudith*, c. 9, v. 2.

(2) *Ibid.* v. 4, confer etiam *Genes. c. 34, v. 25-50*.

non posterioris crudelitatis: primum prae oculis habuisse censenda est *Iudith*, quando asserit (1), *Simeoni* fuisse *gladium datum in defensionem*, sive ut textus graecus habet, *eis ἐδίδουσαν in ultionem alienigenarum*. Idem est quando *Simeonem* et *Levi*, vel potius reliquos fratres appellat *servos Dei* (2), et quod in graeco legitur *ἱγαπημένους dilectos* a Deo, ac affirmat, eos *zelasse zelum Dei*. Potuit nimirum *Iudith* imitari phrasin *Ieremiae*, qui *Nabuchodonosorem* crudeliter in iudaeos debacchantem vocat *servum Dei* (3), quod scilicet Deus eo tanquam instrumento usus fuerit ad castiganda iudaeorum peccata. Sensus igitur orationis *Iudithae* (4) est iste: *O Deus! qui per patrem meum Simeonem punivisti sichemitas; nunc per me, unam mulierem puni Holofernem eiusque exercitum*. In qua oratione nihil est reprehensione dignum. Ceterum addit *Estius* h. l. et ait: *Non est necesse, verba eius (Iudithae) omnia habere pondus et auctoritatem sacrae Scripturae*. Quamvis enim Scriptura multa narret ab aliis dicta vel gesta, non tamen omnia haec approbat.

Ad 2. responsio patet ex dictis. Approbatur nimirum factum *Simeonis* in libro *Iudith* ex causa et re secundum se spectata: improbat vero in libro *Genesis* per patriarcham *Iacob* propter modum, quo peractum est. Approbat *Iuditha* 1. *zelum Simeonis* pro *Dinae* pudicitia. 2. *Horrorem* a flagitio *Sichem*. 3. *Animum* illud iuste puniendi: ideoque ait, quod *Deus* illi dederit *gladium in iustam ultionem* etc. *Iacob* autem in libro *Genesis* reprobatur 1. mendacium et dolum (5). 2. *Perfidiam* contra fidem foederis. 3.

(3) *Ieremiae*, c. 25, v. 9.

(4) *Iudith* c. 9, v. 2 et 5.

(5) *Genes. c. 34, v. 15*.